

CAPUT XXIII.

*Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis
preparationem docet.*

Minium depurandi & expoliendi modum veteres duplicem habuerunt, loturam scilicet & cocturam. Priorem *Plinius hist. nat. lib. 33. cap. 7.* his verbis explicat: *Optimum verò supra Ephesum Cilbianis agris: arenam cocci colorem habere: hanc teri, dein lavari farinam, & quod subsidat, iterum lavari: differentiam artis esse, quod alii Minium faciunt prima lotura: apud alios id esse dilutius, sequentis autem loturae optimum.* Hanc Minii (quod ex arena quadam rubra, in argenti fodinis reperta, primus *Callias Atheniensis*, aurum ex ea sperans, quia splendebat, fecit) conficiendi rationem *Ephesi* tenuerunt, quam *Plinius* è *Theophrasto*, ut multa alia, transcripsit; quod tamen nativum potius, quam factitium appellandum est, quia & *Theophrastus* à *Isocrates* dicit. Posterioris meminerunt *Dioscorides* & *Vitruvius* l. c. illudque fornacibus in florentissimum flagrantissimumque colorem picturae gratia permutari tradiderunt. *Plinius* quoque *hist. nat. lib. 33. cap. 7.* inquit: *Sisaponensibus autem miniariis suae vene arena sine argento excoquitur.* Hoc coctura purius reddiderunt. Multi contra non coxerunt illud, & tamen optimi coloris fuit; quod nihil mirum videtur, cum in multis miniariis metallis adeò purum ac floridum conspiciatur ut nullâ egeat coctione; in qua certè timendum quoque est, ne vasis, in quibus coquatur, apertis, aliqua ejus pars propter ignium vim evolet, obstructis, totum in

Orium

Œrium vertatur. Qui lento igne illud coxerunt, illigârunt faciem laxis vesicis, ne in respirando exitialem vaporem traherent, & tamen ut per illas spectarent.

Sed quænam est causa, quod hodiè Minium illud pictores ad sumptuosa parietum ornamenta non adhibeant, cum olim magni usus in illis fuerit, & nunc esse possit? Hæc: quòd Chymistæ factitium, quòd aliàs Cinnabaris illis dicitur, in ejus locum substituerint, quòd ex argento vivo & sulphure conficiunt, cum tamen nativum magis sit eligendum, dum pulcherrimus ille factitii rubor æris fœditate non nihil corrumpi possit.

Verùm enim verò modus hic Minium depurandi & expoliendi veteribus fuit frequens; nos de modo Cinnabaria mineralis, seu Minium naturale ita præparandi, ut ex veneno saluberrimum præstantissimum nobilissimumque fiat medicamen, saltem in hoc *capite* sumus solliciti.

Ista ergò Cinnabaris mineralis, seu Minii naturalis præparatio quadruplici modo fit, tostione nimirum, sublimatione, coctione & lotione. Cinnabarin nativam, quæ est radix & minera Œrii, torret *Dan. Sennertus Med. Practic. lib. 1. part. 2. cap. 31.* super ignem lentum in tabula.

Postea subtilissimè terit super marmore in pulverem impalpabilem. Eam per sublimationem sexies vel ultra rectificat *Dn. D. Joh. Michaelis apud Frid. Hoffmannum in Clav. Pharmaceutic. Schroderian. lib. 3. cap. 16.* Et hæc Cinnabaris nativa *Ungarica*, imprimis Claris, tum sibi relicta, tum sublimatione depurata, teste *Georg. Wolffg. Wedelio Pharm. lib. 2. sect. 3. cap. 4.* tutò in corpus propinatur, vi cephalicâ, nevina, absorbente hu-

mo-

mores acidos, acres, austeros, & in coagulum abeuntes liquante & fundente, excellentissimâ prædita.

Coquitur etiam Cinnabaris nativa pulverisata aquâ purissimâ in tigillo alembicato, ut fumus evanescat metallicus in auras; hæc coctio sæpius iteranda, & pars subtilissima supernatans à scoriis separanda est. Postea in vas argenteum infunde, accenso spiritu vini sæpius superfuso, & usui reserva. Hoc modo Cinnabaris depurata potest adhiberi; quæ enim scorias deposuit, probatior est.

Deindè hæc etiam pulverisatur, vel teritur, affunditur aqua simplex, vel rosarum, boraginis, agitur liquor, qui secum partes subtiliores & puriores continet, decantatur, quibus subsidentibus infundum, ipse iterum decantatur, repetitâ pro re nata elutriatione, & exsiccat postmodum, quod hoc modo acquisitum subsedit. Hæc Cinnabaris nativa selectior, inquit Excell. *Dan. Ludovici Pharmac. dissertat. 1. pag. 351.* aut à saxo adhærente per trituram & elutriationem separata citra aliud artificium, idonea est usibus medicis.

Hujus præparationis autor videtur esse *Callias Atheniensis* si enim locum *Theophrasti lib. de lapid. pag. 12.* accuratius examinemus, sensum ipsius non deprehendemus, compositionem Cinnabaris artificialis pictorum inventam esse à *Callia*, sed solùm modò illud artificium, quo Cinnabaris nativa usitato hodiernum & quidem optimo modo, mediante aquâ depuratur, cujus terminus usitatus est: **Schlemmen.** Affunditur nempe Cinnabari pulverisatæ aquæ simplicis, vel rosarum, borraginis q. f. triplum v. gr. vel quadruplum, hinc motione factâ, ut subtiliores partes in aquam diffundantur, in aliud
vas

vas decantatur, & quod in fundo subsidet alcohol, tanquam Cinnabaris optimè depurata & præparata adservatur. Hunc processum si cum modo *Callie* examinemus & conferamus, omninò convenire fatebimur. Meminit enim *Autor* apertè 1. Cinnabarin nativam recipi, & quidem illam, quæ friabilitate suâ arenæ ferè accedit, ac splendentem, quæ scilicet duræ & lapidosæ ibidem memoratæ opposita est. 2. Collectam hanc in vasis lapideis teri levissimè. 3. In vasis æneis tritam lavari. 4. Quod autem subsidet, iterum sumi, teri & lavari, ut prius, ἐν ὠπιρῶσι τὸ τῆς τέχνης, atque hoc est, quod ar: confert. Et paulò post addit: γίνεσθαι τὸ μὲν ὑπὲρ ἀμύθου κατῶ, κιννάβαρι, τὸ δ' ἐπ' ἀνω καὶ πλεῖον πλύσμα. Fit verò, quod infra subsidet, Cinnabaris, quod autem supernatat, & plus est, lotura. Quibus manifestè *quintum* indicat requisitum hanc nimirum Cinnabarin subsidentem esse exsiccandam, & loturam supernatantem decantandam. Artificium verò hoc ipse *Callias* invenit, quòd, cum propter splendorem putaret aurum in arena esse, illam studiosè collegerit. Confer. *Miscell. Curios. Germanic. Ann. 3. obs. 105.*

Est autem ejusmodi lotio in Cinnabari minerali admodum necessaria. Spiritus namque *Uriales* pravos primùm subigit, omnemque acrimoniam tollit & edulcat, sicuti terebinthina magis lotionem mitescit, & terra *⊕*li dulcis frequenti lotionem & elutriationem fit. Ejusmodi deindè lotio Cinnabarin mineralem depurat, quemadmodum aloë lavari potest, ut solvantur nimirum in liquore partes puriores, aliàs aloë lota nullius est usus; relinquitur enim cadaver pro corpore, umbra pro re, sordes & fæces pro vino; undè quoque rectè in *Pharmacopœia*

cepoëia Londinensium aloë lota dicitur depurata.

Ex hoc etiam facilè liquet, liquorem ad lotionem requiri insipidum, aqueum, vel etiam, si velimus, destillatum, corroborantem, tum frigidum, tum calidum. Sic, quod exempli loco etiam infervire potest, *Urius* dulcis non opus habet, ut toties sublimetur, sicuti vulgò id præcipiunt, ut vel decies id fiat, sufficit unâ vice id præstari, modò hinc remotis impuritatibus, præsertim in superficie adherentibus, pulverifetur, & lotionem aquæ calidæ, si quæ insunt adhuc particulae salinæ acres, elutrientur, factâ dehinc debitâ exsiccatione. Atque hæc Cinnabaris præparatio requiritur, antequam usus ejus in medicina salubris esse possit.

C A P U T XXIV.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis præparati vires admirandas in genere perlustrat.

TAntæ Cinnabaris hujus mineralis, seu Minii naturalis præparati sunt vires, ut etiam cum auro certet. Auro Cinnabarin nativam pretiosiorum putat *Josephus Quercetanus Tetr. graviss. capit. adfect. cap. 33.* in ea enim latent egregia arcana contra infinitos affectus internè adhibenda. Hinc ea selectior, censente *Dn. D. D. Dan. Ludovici Pharm. pag. 345. & 346.* *Uriale* quidpiam tutum, efficax & parabile est. Non quidem directè & per se diaphoreticum, sed bonum saltem ac polychrestum exaltatorium, multorumque concurrentium symptomatum præsens est deleterium, ut æque feliciter,